

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

“Fidei Divinae conceptus.”

De picturarum in catacumbis interpretatione universalis ratio.

Michaël Rua.

Vallis Marliana.

Ex Gallia. — Parisiensis conventus de pace inter gentes procuranda.

Golloquia latina. — Pilare certamen.

Ex Helvetia. — Euripidem et Plautum apud Genavenses in scenam prodire.

Quaestiones inter socios propositae: I - Unde celeberrimum illud effatum: «Memento mori».

Acta Pontificia. — Motu proprio de concessionibus indulgentiarum a Suprema S. Congregatione S. Officii recognoscendis.

Diarium Vaticanum.

Annales. — Albanensis seditio — Cretensis quaestio.

Publici per orbem coetus legibus ferendis.

Per orbem.

Librorum recensio. (L. Profumo. - A. Ferrato. - O. Premoli. - La Tour du Pin la Charge. - L. Désers).

Libri recens dono accepti.

loci.

Aenigmata.

Appendix: Arrae Gorgoniae.

“FIDEI DIVINAE CONCEPTUS”

Fede è sustanzia di cose sperate,
Ed argomento delle non parventi;
E questa pare a me sua quiditate.

(DANTE, *Par.* XXIV, 65).

Leibnitius philosophus (1647-1716) in quadam epistola (1) olim scribebat, «saeculum philosophicum oriri, quo cura acrior veritatis extra scholas, etiam in viros reipublicae natos diffundatur; his nisi satisfiat, desperatam religionis veram propagationem esse: magnam conversionum partem fore palliatam; nihil efficacius esse ad confirmandum atheismum, aut certe naturalismum invalescentem, et subruendam a fundamento apud multos et magnos sed malos homines religionis christianae fidem».

Nulli aetati, sicuti aetati nostrae, quae magna «crisi» fidei laborat, et in qua «fides et scientia» continuis agitantur conflictibus, verba Leibnitii tam apprimè conveniunt. Neque de hisce conflictibus, neque de tam magna «fidei crisi», nobis mirandum est; haec omnia siquidem explicantur 1^o, per verba Lutheri scribentis: «Ardua res est fides, quae non facile et cito discitur et apprehenditur» (2); 2^o, per S. Thomae (3) verba, dum scribit: «Sublata fide nihil remanet in homine, quod possit esse utile ad salutem aeternam... Fides enim est vita animae... Sicut ergo sublata vita corporali, omnia membra et partes hominis a debita dispositione recedunt; ita sublata vita iustitiae, quae est per fidem, apparet inordinatio».

Exponamus igitur, quinam sit fidei divinae conceptus penes «Protestantes», aliosque errantes «Mo-

dernos et Modernistas», nec non penes S. Paulum, S. Thomam, atque catholicam Ecclesiam.

Neque clare, neque satis apparet, quinam fuerit conceptus fidei penes Protestantes saeculi xvi, et quinam sit huiusmodi fidei conceptus penes Protestantes recentiores. Lutherus circa fidem, sequentia contradiCTORIE scribit (1): «Cum fides sit recta et bona opinio de Deo, opinio autem quaelibet per se solam hominem trahat in opera, non est dubitandum, quin omnia opera faciat qui fidem habuerit... fides est firma opinio... Quod habent (Papistae) somnium, opinio et ratio naturalis non fides est... fides est firmus assensus, quo Christus apprehenditur...»

Fides nihil aliud est quam obedientia spiritus... Verbum credendum est nihil aliud, quam Christus est mortuus et resurrexit... Fidem offerre (hoc est) fiduciam veram rerum non apparentium... Fides autem esse nullo modo potest, nisi sit vivax quaedam et indubitata opinio, qua homo certus est super omnem certitudinem se placere Deo, se habere propitium et ignoscentem Deum in omnibus, quae fecerit aut gesserit: propitium in bonis, ignoscentem in malis. Quid enim est fides, quae non est talis opinio?... Fides est firma opinio constansque conscientia iustitiae et salutis».

Calvinus post distinctionem «fidei historicae, fidei miraculorum, fidei promissionum» definit fidem (2): «Fides est divinae erga nos benevolentiae firma certa-que cognitio, quae gratuita in Christo promissionis veritate fundata, per Spiritum Sanctum et revelatur mentibus nostris et cordibus obsignatur». Melancthon

(1) Cf. DENIFLE, *Luther und Luthertum Mainz* 1904, p. 590, 694 et seq. Lutherus Melancthoni scribebat: «Sündige wacker, aber vertraue noch fester». Cf. HUMBERTCLAUDE HENRI, *Erasmus et Luther*, p. 137-138.

(2) Cf. PRAT, *La Théologie de Saint Paul* 1908, p. 255; HÉBERT, *L'évolution de la foi catholique*, chap. vii.

(1) *Lettre à Arnauld* 167, 1.

(2) *In Gal.* II, 187.

(3) 2, 2^{ae} p. 12, a. 1. ad 2.

scribit (1): « Principio credo offendi vos, cur Lutherus ubique scribit iustificari nos sola fide... Cum docet nos iustificari fide, non vult fidem esse simplicem historiae cognitionem, ut cum Livio aut Salustio credo, sed esse fiduciam, quod Christus, in quem credo, omnia quae de eo dicunt Scripturae, mihi donaverit remissionem peccatorum per iustificationem... Assensus seu fiducia in promissionem divinam, quod Christus pro me datus sit, quod Christus mea deleat peccata, quod Christus vivificat me, haec fides est illa Evangelii quae sola iustificat, i. e. haec sola reputatur nobis a Deo pro iustitia: opera quantumvis videantur bona, pro iustitia non reputantur ».

Non aliter ac antiqui, divisi sunt circa fidei conceptum recentiores Protestantes. Non est dubium, scribit Beyschlag (*Neutest. Theol.*,² t. II, 178), notionem fundamentalem fidei in fiducia consistere, iuxta verba Pauli (I. Cor. 13, 7) « Charitas... omnia credit ». B. Weiss (*Lehrbuch der bibl. Theol. des N. T.*,⁶ pag. 321-323) coniungit simul fiduciam et adhaesionem intellectus, nomineque fiduciae intelligit « eam fiduciam quae coram Deo testificatur, dnm verbo illius credimus ». Baur (*Paulus der Apostel I. C.*, 1845 p. 545) sumpta fide tamquam iustificationis principio, definit eam « persuasionem supra Iesum Christum fundatam per quam est id quod est? » Pfiderer (*Der Paulinismus*, 1874, p. 166) vocat fidem « plenam voluntatis divinae adimplerionem, non quidem voluntatis imperantis, sed voluntatis quae se dat ». Uti quisque videt, fidei conceptus penes recentiores Protestantes existens, indeterminatus, quasi inintelligibilis est. (2)



Pro Hermesio, nonnullisque aliis theologis Germaniae saeculi elapsi, fidei conceptus est de rebus visis atque scientifice demonstratis ab intellectu humano, qui « suis naturalibus principiis ad dogmata fidei scienter tractanda » idoneus effici potest. (*Denz.* 1527). Iuxta Fideistas, fides non aliquid intellectus et voluntatis est. A conceptu fidei, actus quilibet rationis est excludendus, cum Deus, naturali lumine rationis humanae certo cognosci non possit, neque divina revelatio externis signis credibilis fiat, cumque neque fieri, neque certo cognosci possint miracula, neque ad divinam religionis christianae originem rite probandam valeant. Fides est, quae ad omnia valet; ipsa remota, nihil certi a nobis sciri potest. (Cf. *Denz.* 1653-1659-1660). Huic « Fideismo » adscribuntur a nonnullis Loisy eiusque asseclae, cum penes illos « Christus sit Deus per fidem, per fidem sit immortalis, per fidem Ecclesia ab eo instituta recognoscatur, per fidem numerus septenarius Sacramentorum appareat ». (3)

(1) DENIFLE, I. c., p. 695-696.

(2) Cf. *Notiones fidei Ritschl et Fricke* penes PRAT *La théologie de S. Paul*, p. 256.

(3) *Autour d'un petit livre*, p. 155, 117, 120, 174, 160, 180.

Iuxta modernos aliquos, placitis systematis de « Immanentia » et « Rationalismi » plus minusve addictos, fides est quidem « sensus » Deum percipiens, dum oculus tamen Deum non videt; vel melius est sensus quidam omnino « dynamicus » et significat *fiduciam, amorem, spem*. Fides, non est actus cognoscitivus, cum per semetipsam ac in seipsa nullam visionem sive directam sive indirectam veritatis habeat. Fides oritur ex quadam indigentia, vel ex quadam inquietudine, vel ex quodam desiderio, vel ex moralibus dispositionibus animae. (1) Fides vel in indigentia quadam essentiali naturae nostrae fundatur; vel in hominis definitione, vel in operationibus intellectus eiusdem est inclusa; credimus eo praecise modo quo respiramus. Fides, quaedam lex organismi nostri moralis vel intellectualis est; (2) est obedientia vel impulsus quidam spiritus, (3) vel quidam motus caecus animi sine motivo aliquo credibilitatis; et si motivum aliquod credibilitatis habeatur, ad veritatem fidei christianae evidenter credibilem redigendam, non valet. (4)

Conceptus fidei penes Modernistas pulchre in Epistola Pii X *Pascendi* exponitur. « Religio, - inquit - sive ea naturalis est, sive supra naturam... explicationem aliquam admittat oportet. Explicatio autem... extra hominem inquiritur frustra. Est igitur in ipso homine quaerenda: et quoniam religio vitae quaedam est forma, in vita omnino hominis reperienda est. Ex hoc *immanentiae religiosae* principium asseritur. Vitalis porro cuiusque phaenomeni, cuiusmodi religionem esse iam dictum est, prima veluti motio ex indigentia quadam seu impulsione est repetenda: primordia vero, si de vita prescius loquamur, ponenda sunt in motu quodam cordis, qui sensus dicitur. Eam ob rem, cum religionis obiectum sit Deus, concludendum est, fidem, quae initium est ac fundamentum cuiusvis religionis, *in sensu quodam intimo* collocari debere, qui *ex indigentia* divini oriatur... Coram... incognoscibili... indigentia divini in animo ad religionem prono, nullo, secundum fideismi scita, praeventente mentis iudicio, peculiarem quemdam commovet sensum... Est porro hic *sensus quem modernistae fidei nomine* appellant, estque illis religionis initium ».



Circa fidei conceptum, audiantur modo S. Paulus, S. Thomas, Vaticanumque Concilium. Ne mireris, si specialis sermo fiat de fidei conceptu penes Apostolum Paulum; ipse enim inter scriptores inspiratos, qui de fide loquuti sunt, primatum quemdam tenet. Conceptus fidei, qualis in S. Pauli Epistolis apparet, multiformis est. Iuxta Apostoli mentem, quatuor in fide distinguere possumus, videlicet: *virtutem* fidei, *fidei obiectum*, *fidei genesim* ac *principalitatem*.

(1) Cf. *Annales de Philos. Chré.*, 1909 Sept., p. 597. Novemb. 1908, pagina 183, p. 504.

(2) Cf. BRUNETIÈRE, *Discours de Combat. Le besoin de croire*.

(3) BREMOND, *Psychologie de la foi*, p. 311, 312, 313. *Loss and Gain* (NEWMAN) chap. v, p. II.

(4) Cf. *Conc. Vaticanum Denz.* (1639-1640).

Virtus fidei, est obedientia quaedam, quaedam intima persuasio, fiducia in fide nonnisi secundarium locum obtinet. In hunc sensum legimus (*Rom.* I, 5): « Per quem accepimus gratiam et apostolatam ad obediendum fidei »; (*Rom.* XVI, 26): « Secundum praeceptum aeterni Dei ad obeditionem fidei »; (*Rom.* X, 16): « Sed non omnes obediunt Evangelio ». Item (II *Corinth.* X, 5): « In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi ». De fide Abrahae Apostolus (*Rom.* IV, 21) ait: « Plenissime sciens, quia quaecumque promisit, potens est et facere ». Virtus fidei igitur, concludit P. Lemonnyer, (1) penes Apostolum est « quaedam cordis obedientia, status quidam convinctionis, firma quaedam persuasio cordis ».

Obiectum fidei, iuxta Pauli mentem, complectitur Iesum Christum, Deum, sanguinem et virtutem propitiatoriam Iesu Christi, Dei potentiam, Christi resurrectionem, aliasque Evangelii veritates. In hunc sensum legimus (*Rom.* III, 22): « Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi... qui credunt in eum », et (*Galat.* II, 16): « Nisi per fidem Iesu Christi; et nos in Christo Iesu credimus ». Item (*Philip.* III, 9): « Inveniar in illo, non habens meam iustitiam, quae ex lege est, sed illam quae ex fide est Christi Iesu »; (*Rom.* IV, 3): « Quid enim dicit Scriptura? Credidit Abraham Deo: et reputatum est illi ad iustitiam », (*Rom.* III, 25): « Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius »; (*Colos.* II, 12): « Resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitavit illum a mortuis »; (*Rom.* X, 9): « In corde tuo credideris, quod Deus illum suscitavit a mortuis », et (*I Corinth.* XV, 1): « Evangelium, quod praedicavi vobis, quod accepistis, in quo et statis ».

Genesis externa fidei, quomodo videlicet aliquis ad fidem externe perveniat, invenitur in Epistola S. Pauli ad Romanos, (X, 14 et seqq.): « Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante? Quomodo vero praedicabunt, nisi mittantur?... Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi ». Genesis vero interior fidei, quomodo nempe aliquis interne credat, iuxta Pauli Apostoli mentem in hoc consistit, quod credere sit simul actus liber hominis, idest actus intellectus et voluntatis, donumque Dei. *Actus intellectus et voluntatis*, (I, *Thess.* IV, 13): Si enim credimus quod Iesus mortuus est, et resurrexit », et (*Rom.* X, 9): « Quia si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, et in corde tuo credideris quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris ». (2) *Donum Dei* (II *Thess.* 3, 2): « Non enim omnium est fides ».

Principalitas vero fidei apparet, dum Apostolus (*Rom.* XIV, 23; I *Thess.* 1, 3; II *Thess.* 1, 12) continuo repetit, fidem esse primum evangelicae praedicationis effectum, per fidem nos accessum habere ad Deum, in-

corporari Christo, fidem esse necessariam conditionem ad iustificationem animae, esse vitae regulam. Animadvertere placet cum P. Prat (1) Apostolum Paulum in fidei conceptu nobis tradendo, neque uti metaphysicum procedere, neque metaphysicam analysim adhibere. Quamvis ipse fidei vocabulo, diversas tradat significationes, in fide tamen duo ubique determinat, actionem nempe fidei, quae est credere, diversaque obiecta eiusdem fidei.

*
**

Iuxta Angelicum, fides catholica, quae origine divina est, habet tamquam materiale obiectum (quod materialiter cognoscitur) Deum et multa alia « quae habent aliquem ordinem ad Deum ». Obiectum hoc in se consideratum est aliquid simplex (aliquid incomplexum); sed quia humanus intellectus nonnisi componendo vel dividendo veritatem cognoscit (iudicium affirmativum et negativum) ideo obiectum fidei respectu credentis « est aliquid complexum per modum enuntiabilis »; enuntiatur videlicet per iudicium vel propositionem aliquam. Ratio formalis huius iudicii, vel obiectum formale fidei (formalis ratio obiecti) idest, id per quod materiale obiectum cognoscitur, est Veritas prima, quia in fide ideo assensus veritati praebetur, quia est a Deo revelata; aliis verbis, obiectum fidei est Deus, vel Veritas prima revelans se, aliasque veritates. (2)

Auctoritas divina per quam fidei inerrantia habetur, non praebet visionem evidentem terminorum veritatum fidei, uti fit in principiis atque conclusionibus demonstrativis scientiae. Impossibile est igitur, quod eadem veritas sub eodem respectu considerata, pro eodemque intellectu sit simul fidei scientiaeque obiectum; quamvis fieri possit, ut eadem veritas sit ab uno scita et ab alio credita, qui nempe neque per intuitionem neque per demonstrationem intimum illius nexum percipit. Ex. g. existentia Dei et unitas Dei « numerantur inter credenda » non quia ab omnibus et ab unoquoque credi debeant, sed quia « praeexiguntur ad ea quae sunt fidei » quamvis veritates, communiter omnium fidei propositae, sint extra scientiae obiectum (non scitum) atque sub fidei dominio cadant. (3)

Verum etsi fides cognitionem « scientificam » dogmatum excludat, exigit tamen laborem praeambulum intellectus; credere enim est cum assensione cogitare. Neque credens crederet, nisi videret esse credendum, sive persuasio haec proveniat ab evidentia miraculorum, sive ab aliis motivis, uti sunt prophetiae, necnon conversio populorum ad doctrinam christianam tam difficilem et arduam. (4)

Motiva haec non valent ad propositiones fidei proprie demonstrandas; valent solummodo ad easdem evidenter credibiles reddendas, ita ut intellectus credentis

(1) *Epîtres de S. Paul — Première Partie — Aux Romains*, 1, 17.

(2) Dans ce dernier exemple animadvertit PRAT (*La Théologie de S. Paul* p. 235 n. 1) il n'y a pas à objecter le mot « cœur »; on sait assez que dans la psychologie biblique le cœur est le siège des pensées aussi bien que des sentiments ». Cf. *Rom.* IV, 20; II *Thess.* 2, 12-13; *Col.* II, 12; I *Cor.* 15, 2.

(1) L. c. p. 234.

(2) *Summa Theol.* 2-2^{ae}. 2. 3. C. *Gent.* 1, 5 - *De Veritate* 14, 10 in corp. 2-2^{ae}. 1. 1. in corp.; 1. p. q. 16 a 2.; 2-2^{ae}. 1. 2.; 2-2^{ae}. 1. 1.

(3) 2-2^{ae}. 2. 10; q. 1. a. 3; q. 1. a. 4; q. 1. a. 5. ad 4, et ad 3, et in corpore.

(4) 2-2^{ae}. 2. 1.; q. 1. a. 4 et 2. C. *Gent.* 1, 6.

qui sub gratiae motione, veritatibus divinitus revelatis atque ab Ecclesia edoctis libere adhaeret, nulla evidenti demonstratione ad adhaerendum cogatur. In libertate hac, meritum fidei consistit; quod quidem meritum a motivis credibilitatis minui vel augeri, nunquam supprimi potest; minuitur si quis recusat vel differt credere, augetur si credens amore fidei, nova motiva inquirat. (1)

Actus fidei triplici formula, quae est « credere Deo, credere Deum, credere in Deum » exprimitur. Prima formula « credere Deo » obiectum formale fidei, Deum veritatem primam se revelantem indicat; secunda « credere Deum » obiectum materiale fidei, Deum videlicet, aliaque respectum ad Deum habentia exprimit; tertia « credere in Deum » significat intellectum credentis a voluntate motum tendere in Deum summum bonum. (2)

*
**

Veniamus tandem ad fidei conceptum a Concilio Vaticano nobis clare solideque traditum, quique conceptui Apostoli Pauli necnon S. Thomae conformis est. Fides iuxta Conc. Vaticanum (*Cap. 3 de fide* Denz. 1638) est:

a) « Humanae salutis initium... virtus supernaturalis, qua Dei aspirante et adiuvante gratia, ab eo revelata vera esse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem naturalis rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli, nec fallere potest ». Concil. Tridentinum (*Sess. 6. c. 8* Denz. 683) iam vocaverat fidem « humanae salutis initium, fundamentum et radix omnis iustificationis ». *Initium* quidem dicitur, ait Toletus (3) « quia ipsa praecedit; nisi enim peccator peccasse se contra Deum, et per Christum sibi iustitiam oblatam credat, nec sperat nec diligit, nec peccasse dolet; fides ergo initium est. *Fundamentum* autem dicitur, quia ipsi cetera innituntur; ablata namque fide cetera corruunt nec subsistere possunt; ceteris vero ablatis non continuo fides destruitur, sicut ablato fundamento aedificium ruit, non autem e contrario, aedificio destructo, fundamentum eruitur. *Radix* autem dicitur quia ad ceteras producendas ipsa concurrat, non quod necessario consequantur fidem, nec quod sola fides sine adiutorio supernaturali eas inducat, sed quod ex parte ad actus tales producendos concurrat una cum auxilio divinae gratiae ».

b) « Est assensus intellectus, non caecus, sed rationi consentaneus ». Dantur enim pro intellectu credentis « externa revelationis argumenta, facta scilicet divina, atque imprimis miracula et prophetiae quae cum Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commonstrent, divinae revelationis signa sunt certissima et omnium intelligentiae accommodata ». (4) Iam

antea Pius IX (*Ad Patr. Primates* etc. d. 9 Nov. 1846 Denz 1498) scripserat: « Quis ignorat vel ignorare potest, omnem Deo loquenti fidem esse habendam, nihilque rationi ipsi magis consentaneum esse, quam iis acquiescere firmiterque adhaerere, quae a Deo, qui nec falli, nec fallere potest, revelata esse constiterit? »

c) « Est assensus, non sine sed cum actione supernaturali Dei moventis ad fidem. » Nemo enim « evangelicae praedicationi consentire potest, sicut oportet ad salutem consequendam, absque illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo et credendo veritati ». (1)

d) « Est supra rationem, non contra rationem ». *Supra rationem*: « Divina enim mysteria suapte natura intellectum creatum sic excedunt, ut etiam revelatione tradita et fide suscepta, ipsius tamen fidei velamine contacta et quadam quasi caligine obvoluta maneant, quamdiu in hac mortali vita peregrinamur a Domino: per fidem enim ambulamus et non per speciem ». (2) *Non contra rationem*, quia idem est Deus « qui mysteria revelat et fidem infundit » et qui « animo humano rationis lumen indidit »; Deus autem « negare seipsum non potest, nec verum vero unquam contradicere ». (3)

e) « Fides et ratio opem sibi mutuam ferunt ». Quia « recta ratio fidei fundamenta demonstrat, eiusque lumine illustrata rerum divinarum scientiam excolit »; fides vero « rationem ab erroribus liberat ac tuetur, eamque multiplici cognitione illustrat ». (4)

f) « Fidei divinae obiectum constituitur per ea, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia sive solemniori iudicio sive ordinario et universali magisterio tamquam divinitus revelata credenda proponuntur ». (5)

*
**

Haec omnia scripta sunt, occasione *Operis* (6) necnon conversionis Professoris Alberti von Ruville, circa quam, in Germania universa, multi scripserunt. Quibus omnibus perpensis, fas sit nobis repetere: « Ardua res est fides, quae non facile et cito discitur et apprehenditur ».

Friburgi Helvetiorum.

P. REGINALDUS FEI O. P.

(1) Denz. 1640.

(2) Ib. c. 4. Denz. 1644.

(3) Ib. Denz. 1645.

(4) Denz. 1646.

(5) Denz. 1641.

(6) *Zurück zur heiligen Kirche*.

(1) *C. Gent.* 1, 18; 2-2^{ae}. 2. 9, 10; 1

(2) 2-2^{ae}. 2. 2. Cf. *Theol. Heitz (Revue de Sciences philosophiques et théolog.* Avril 1909 p. 244) « *La Philosophie et la Foi chez S. Thomas d'Aquin* ».

(3) In *Epist. ad Rom.* III, 21.

(4) Ib. c. 3 Denz. 1639.

Spatio deficiente, ad proximum numerum:

PHILOSOPHICAE DISPUTATIONES

MODERNISTAM INTER ET THOMISTAM:

ACTUM VOLUNTATIS NON PENDERE A SOLA APPREHENSIONE: SED A IUDICIO EODEMQUE « PRACTICO » CIRCA FINEM, ET A DISCURSU CIRCA MEDIA STATUITUR.

DE PICTURARUM IN CATACUMBIS INTERPRETATIONE UNIVERSALIS RATIO⁽¹⁾

Picturarum interpretatio Christianae antiquitatis disciplinae difficillima pars est, quum a fontibus litterariis pendeat, in quorum investigatione vel summi archaeologi errarunt. Ut mihi videtur, ex monumentorum indole eorumque inter se analogia investigatio ista initium capere debet; de ea igitur primum loquendum.

Auctores, qui de picturarum Christianarum stilo tractarunt, mire in eius indole determinanda dissentiunt. Raoul-Rochette nihil omnino in Christiana arte invenit, quod proprium huius artis diceret, omniaque



Monumentum ethnicum.



Monumentum Christianum.

adumbrationem sive imitationem plus minus fidelem esse artis ethnicae asseruit. (2) Cuius quidem sententiae ratio non solum ex praeiudicatis opinionibus illius auctoris repetenda est, verum etiam ex eo quod, initio saeculi elapsi, quum hac de re quid sentiret exposuit, haud fideles figurarum tabulas sub oculis habuerit. Contra hanc sententiam non semel in suo opere *Roma sotterranea* locutus est I. B. De Rossi, qui certam quamdam concedens arti ethnicae partem in coemeterialibus picturis, quippe cuius stilus fere vitari non posset, multarum tamen figurarum Christianae vindicat arti originem. Verum visus est, nostris praesertim temporibus, nimis complexa involutaeque symbola in picturis catacubarum deprehendere voluisse.

Eius aequalis, doctissimus Pater Garrucci, antiquam Bosii aliorumque opinionem renovavit, quatenus fere omnia in Christianis sepulcris symbolica esse deberent, (3) ac nonnulli Lutheri Calvinique assectatores ex Garruccianae interpretationis abusu occasionem arripere omne prorsus in praefatis monumentis negandi dogmaticum signum. Inter hos Victor Schultz eminuit, qui optime quidem de inventis monumentis meritis, omnia tamen eo sensu interpretatus est, ut ipsis quaedam si-


gnificaretur popularis philosophia, fidei resurrectionis innixa, sed nihil aliud. (1)

Victoris Schultz opinionem Sybel nostris temporibus plus minus amplexus est, qui in omnibus et semper ethnicam omnino cernit artem, artem vero Christianam affirmat ultimam esse ethnicae artis formam, sicut Christiana religio ultimum antiquarum religionum evolutionis (ut hodie dicitur) signat gradum. Praeterea, ex eius sententia, picturae defunctum semper spectant, quatenus ad eius destinationem alludant, aeternam videlicet beatitudinem in Deo; Christus autem non intervenit nisi ut mediator, ut salvator mundi humanique generis liberator, cuius gratia et auxilio ad convivium caeleste aditus patet. Auctori igitur picturarum finis eschatologicus, ut hodierno utar vocabulo, prorsus est, (2) quod quidem C. M. Kaufmann (3) alique iam ante illum arbitrati erant.

Iosephus Wilpert in pluribus suis operibus cum doctis illis viris quidem consentit in eo quod ad defunctos picturas catacubarum referendas putet, sed praeter eschatologicum, etiam paraeneticum sensum in iis deprehendit; nempe picturae non ea tantum quae beatitudinem significant, verum etiam supplicationes ac preces continent, quae, ut defuncti anima cito beatitudinem consequeretur, a superstitionibus solvebantur.

Equidem non aliter atque egregius hic auctor tenendum arbitror, cuius nempe sententiam, ita quoad genus consideratam, solummodo post plures in monumentis examinandis annos transactos veram deprehendi, eamque in praesenti libro mihi demonstrandam propono.

Quantum autem sit veri in eorum sententia, qui omnes Christianas figuras in sepulcralibus picturis ex aliquo prototypo ethnicae repetunt artis, satis ex tabulis quas heic proponim s, intelligitur.



Monumentum ethnicum.



Monumentum Christianum.

Exempla istiusmodi ab H. Leclercq producta sunt in suo *Manuali archaeologiae Christianae*, (4) sed quid probent videat studiosus. Equidem, praeterquamquod inter Christianas et ethnicas formas non tantam invenio congruentiam artis, multum mihi dubium est quin Chri-

(1) Quod editor et clarissimus auctor, novi huius operis « de symbolis et picturis coemeterialibus » specimen *Voci Urbis* vulgandum dederint, gratias publice referimus.

(2) RAOUL ROCHETTE. *Discours sur l'origine des types imitatifs qui constituent l'art du christianisme* (1834) et *Mémoires sur les antiquités chrétiennes des catacombes* (1838), ap. *Mémoires de l'Acad. des Inscr. et Belles-Lettres*, t. XIII, pp. 93-169, 170-265, 529-788.

(3) GARRUCCI, *Storia dell'arte cristiana*; praesertim vol. I.

(1) SCHULTZ, *Archaeologische Studien*, Leipzig, 1880; *Die Katakomben*, 1882.

(2) LUDWIG VON SYBEL, *Christliche Antike. Einführung in die altchristliche Kunst*, Marburg, N. G. Elwert, Erster Band, 1906, pag. 308.

(3) KAUFMANN (C. M.), *Handbuch der christlichen Archäologie*, Paderborn, 1905.

(4) H. LECLERCQ, *Manuel d'arch. chrét.* t. premier, pag. 140 sq.

stianae figurae ab ethnicis prototypis stricte adeo, ut iactatur, pendeant; nec enim hinc et illinc stili compositionisve aequalitas, vultus eadem species, vel par vestimentorum quoad sinus dispositio; sed, ad summum, fortuita quaedam levisque, inter communiora ac magis materialia, similitudo dumtaxat deprehenditur, quae vitari omnino nequibat. Si egregius Leclercq semel tantum per Romanum agrum transisset, nostris etiam temporibus plura pastoris quiescentis viva exempla et ubique conspexisset, eodemque fere habitu atque in Christianis passim picturis apparet. Quod autem de pastoris, item de orantis figura dicatur. Cotidie enim Christianis artificibus sub oculis eiusmodi exempla versabantur, praesertim in liturgicis congregationibus; quid ergo opus erat ut Romana signa imitarentur? (1) Sed nunc ad inceptum redeamus.

Licet recentiores plerique auctores in pluribus inter se dissentiant, in hoc tamen concordantes sunt, ut funerariam vindicent picturis catacubarum indolem. Id prorsus excludit quod vel a I. B. De Rossi, non nimis tamen explicite, admittebatur, ut scilicet picturae quidam fuerint modus neophytos in religionis dogmatibus instruendi, ideoque quoddam theologiarum notionum corpus constituerint. Si ita res se habuisset, quaerere liceret curnam non omnia religionis dogmata significata sint. Quod quidem picturae sepulcrales religionis mysteria, vel sublimiora, neophytos docere potuerint, immo et ipsis fidelibus in mentem revocare quod maxime ad salutem aeternam obtinendam referret, nemo dubitabit. Etenim quot res quodlibet potest monumentum commemorare! Verum, in hunc finem picturas sepulcrales directo et ex proposito elaboratas fuisse, nisi gratis id asseri non potest. Quanam nempe hucusque huius rei allata fuit ab auctoribus ratio? Prorsus nulla. Nemo unquam explicavit cur, exempli gratia, ut eucharistia quid esset neophytus intelligeret, figuris depictis opus esset. Sed etsi hoc daretur, qua re in parietibus sepulcrorum? qua re non in communi, etiam si placeat subterraneo, ad hoc destinato loco? Sicut enim ulteriora docuerunt studia, catacumbae unice uti coemeteria habitae generatim fuerunt, in quibus potuerit funeraria quidem liturgia celebrari, sed quam rarissime, atque extrema impellente necessitate dumtaxat ordinarius cultus. Porro quisnam crederet privatam personam, in proprio familiarique decorando sepulcro, de docendis mysteriis neophytis cogitasse, quasi parietes hypogei, saepe perangusti, parietes quodammodo essent scholae, atque ad orandum pro defunctis natura ac decoratione sua non potius et aptius invitarent superstites?

E contra, ad funerariam picturarum nostrarum indolem demonstrandam nobis argumentum suppetit paritas, quae inter diversa monumentorum sepulcralium

genera certo viget. Si enim in coemeteriorum epitaphiis generatim orant superstites, ut defuncti cito beatitudinem ingrediantur, vel eos iam declarant beatitudinem possidere, si eiusmodi cogitationibus et symbola titulis incisa plane respondent, atque idem exhibent quod in liturgicis funerariis precibus legere fas est, ut scilicet proficiat defunctis id quod crediderunt ac speraverunt; si denique symbola non pauca communia cum picturis habent; omnis est ratio concludendi picturas eandem atque epitaphia indolem habere. Neque id quod defuncti sperarunt ac crediderunt totum potuit in sepulcris describi; monumentorum quoque naturam animadvertamus oportet, ceteraque adiuncta, tempus praesertim. Vidimus enim epitaphia potissimum Christum respicere, fidem in eum, spem in eius sponsiones aeternamque beatitudinem; deinde sacramenta commemorari deprehendimus praecipua, quibus scilicet homo fit Christianus et pignus, ex Christi promissis, accipit beatae immortalitatis ac resurrectionis; liturgiae funerariae eadem quoque sacramenta commemorant. Atqui picturae in hoc a liturgiis et epitaphiis minime differunt. Patet igitur quam frustra in picturis quaereremus quod neque eiusdem temporis epitaphia, neque ipsae liturgiae hodieum usurpatae exhiberent.

P. XYSTUS O. C. R.

MICHAËL RUA

Postridie nonas Aprilis hoc ipso anno labente, Deo defixus mortalem vitam cum beata immortalitate placide commutavit Augustae Taurinorum Michaël Rua sacerdos, eximium virtutum exemplar, et primus, post Ioannem Bosco patrem legiferum, Salesianorum Magister.

Lamentabili autem casu, qui me amico suavissimo, multos optimo Patre orbavit, adeo sum affectus, ut nunquam antea meminerim, me tantum capere animo dolorem.

Incredibile quoque dictu est et memoratu dignissimum, quot viri omniumque ordinum et ipsa regia Soboles luctuosum eius obitum graviter illacrymaverint.

Et ego, qui cum ipso, vel a prima aetatula, eam amicitiam contraxeram, quae nunquam postea fuit dissociata, a vobis veniam peto, quam facile me esse consecuturum spero, si paucula de eius vita vel obiter delibavero.

Hic Augustae Taurinorum humili loco natus est anno saeculi elapsi septimo et trigesimo. Paene puer, amisso patre, domestica matris consuetudine, et sanctissima christiana disciplina altus est atque excultus. Vix decennis, quum olim divinitus ei

(1) - Sono semplicemente da leggersi con compassione — ait egregius Wilpert — i tentativi fatti dai dilettanti per ricondurre a tipi classici alcune rappresentazioni (per esempio, la Epifania a scena del culto cibeleico, il sacrificio d'Abramo a quello di Ifigenia, Giona ad Endimione etc.); essi non meritano seria considerazione — (Le pitt. delle cat. rom. textus, p. 53, not. 2.)

obviam fuisset Ioannes Bosco, praeclarum iam religionis exemplum, ita se illi benevolentia et obsequio addixit, ut nunquam exinde ab eius institutis praeceptisque discederet.

Quo factum est, ut, si Ioannem Bosco Philip-pum Nerium Taurinensem iure appellaveris, Mi-chaelem Rua facile cum Caesare illo Baronio com-posueris, qui scriptis atque virtutibus Parentem omnimode laudavit, et eius egregia facinora nedum memoriae posterorum mirum in modum prorogare studuit, sed opere firmavit, re et con-silio auxit.

Michaël Rua, experrecto a na-tura ingenio dona-tus, adolescens in scholis primas sem-per referre consue-vit, et ea celeritate profanas primum, deinde sacras disci-plinas arripuit, eosque fructus sa-pientiae adquisivit, ut, vel ex eo tem-pore, quo tandem esset evasurus, om-nes facile coniec-tura assequi pos-sent, et maiora ei in dies verbis por-tendere.

Verum, sub pru-denti Ioannis Bosco disciplina, iuventu-tem castissime transegit. In eius-modi igitur schola, ita rerum humanarum fuit pertaesus, ut florenti adhuc aetate, mortalibus omnibus muneribus spretis, ad caelestia alacriter contenderet.

Sacerdotio auctus, abhinc annos quinquaginta, pa-tris consilium unice sequutus, cuius vestigiis a pue-ritia fuerat ingressus, totum se ad iuventutis com-modum atque salutem animo convertit.

Quo autem maiorem profectum in muneribus sibi propositis reciperet, ex patris praescripto, ipse, qui alienum a cupiditatibus animum exhibuerat, difficillimis aetatis nostrae temporibus, solers atque impiger politioribus litteris operam dedit, ita tamen

ut primum gymnasii inferioris magister, dein su-perioris extra ordinem cunctisque suffragiis, in Ar-chigymnasio Taurinensi, professor salutari mere-retur.

Et ita de studiorum disciplina sentiebat, ut summa ope niteretur, labentibus annis, ne italica iuventus recentiorum doctrinarum portentis adlecta, ab optimis exemplaribus recederet.

Verum ad caelestia atque immortalia spectans mortalia contempsit, et munerum dignitatem vir-

tutibus cumula-vit.

Quo tempore Ioannes Bosco Piam Religiosam Societatem insti-tuit, cui a S. Fran-cisco Salesio est nomen inditum, princeps cum pau-cis adnumeratur qui nomen ei dede-runt.

Mirum sane quot egregia opera fecit, quot mentes perculit. Quum po-stea pater legifer e vivis excessit, omnium sermone percrebuit, ipsum prae ceteris in Mi-chaele effigiem ani-mi sui reliquisse.

Primum vicaria potestate univer-sam Salesianorum familiam sub patris consilio prudentia,

alacritate, diligentia rexit, et novis usque ac-cessionibus insigniter auxit. Ad eum qui praeest pertinere reputans suos identidem invisere, alloqui, adiuvere, diversas Europae regiones peragravit, ubi essent Salesianorum domus. Ad haec veluti cu-mulus accessit recentiorum gentium cognitio lin-guarum.

Namque quo commodius cum illis gentibus rem ageret, apud quas domum pueris alendis educan-disque aperuisset, optimum factu reputabat earum linguam arripere, ut sic ad se magis eas gentes sororio veluti vinculo adstringeret. Quo facto si cum



MICHAËL RUA

(Ex recentissima imagine photographice expressa)

Gallis agendum erat, gallico eloquio utebatur, si cum Hispanis, hispanico; atque ita comiter, eleganter, polite, si dicere fas est, ut e matris ore tot linguas didicisset. Ad haec, ita quoque Germanorum sermonem arripuerat atque Anglorum, ut leviter quidem, sed peramanter mentem suam expromeret. Quod quidem mirifice inserviebat ad eorum animum sibi acquirendum. Haec omnia praeter ordinem, quum ipse plane singularis esset multis rebus distractus, negotiis variis implicitus atque difficilibus, laboribusque paene obrutus. Defuncto Patre legifero, omnibus sociorum suffragiis solus ad societatis gubernacula sedit. Utinam vero in labore atque in vigiliis remissior fuisset!

Turbulentissimo tempore impotentem factiosorum audaciam christiana patientia fregit, parem atrocibus rebus animum in promptu habuit, et negotiorum publicorum prudentiae laude continuo inclaruit.

Ita tamen in magistrum oculos coniecit, ut hoc imprimis habuerit in deliciis, ad hoc maxima ambitione contenderit, ut omnes agnoscerent unum sibi proposuisse in exemplum. Alumnus, socius, successor, suus omnino fuit, neque ab eius consilio ne tantillum quidem discedendum putavit. Consilio, lenitate, industria, ita mordicus magistro adhaesit, ut, ipso defuncto, nec mortuus esse diceretur, sed tunc maxime vivere.

Praeses in Salesianorum societate administranda maxima rerum et hominum prudentia eluxit.

In rebus adversis constans, in quietis ita se aequum praebeat, ut nobis atque alienis fuerit insignis patientiae, fortitudinis, victoriae monumentum.

In omnibus exemplum aderat.

Pius, integer vitae, laboris patiens laudem ab omnibus promeruerat. Societatis supremum munus annos XXII gessit et singularem diligentiam et moderationem professus, quum infirmo corpore, vegeta autem mente ad septuagesimum tertium annum pervenisset, laetus ad maiora semper tendebat, et quum patris decori minime defuisset, tanto sibi exposito exemplo, enti videbatur multo diligentius.

Ad nos adventantem laetitia gestientes diem expectabamus, quo ipse sacrum quod *aureum* vocant, celebraret, quum, omnibus ingemiscantibus, post diuturnam valetudinem quam fortiter est perpressus, memorabilis constantiae exemplum nobis relinquens, communem laetitiam mors interceptit. In uno mille fuerunt funera! Quo enim die eius feretrum per urbem translatum est summa pompa atque incredibili civium advenarumque concursu, honoris gratia, dum undique innumera devotorum multitudo effunditur, alii virum insignem laudant, pium virtutibusque clarum, alii insolabiliter sacerdotem sanctissimum ac poenitentem admirantur, omnes una voce benignitatem eius et mansuetudinem ad caelum praedicant.

Tu vero, suavissime Pater, nos in contemplatione virtutum tuarum tantummodo conquiescentes, e caelestibus identidem respice.

Vale, anima dulcissima, et Deus misericors, quem sanctissime in terris coluisti, beatas tibi reseret caelorum sedes.

Ave, et vale in pace.

I. B. FRANCESIA.

VALLIS MARIANA

VALLIS MARIANA (*Marienthal*) sita est in Alsatia inferiori, prope oppidum Hagenau; quam regionem omnem, in praesenti amoenissimam, occupavit olim silva immensa, etiamnum ex parte superstes. Ante Francorum irruptionem, habitabant ibi tribus Celticae, quarum sacerdotes, Druides, haud raro victimas humanas immolabant.



Hodiernum templum B. M. V. in valle Mariana.

Urbis Argentinae (*Strassburg*) episcopus fuit S. Arbogastus qui, saeculo VII natus, in memorata silva vitam solitariam aliquandiu egerat; quod et S. Deodatus fecit, alique viri pietatis studiosi. Quare vulgo silva haec appellata est SANCTA.

Ineunte saeculo XIII, Albertus, civis Hagenoensis, e nobili gente de Wangen, vitam sanctiorem acturus, in eam silvae partem secessit, quae deinceps Vallis Mariana dicta est, cella sibi atque oratorio exstructis. Is peculiari cultu prosequeretur Deiparam Virginem sub titulo Perdolentis, quam sculptor coaevus repraesentarat demortui Filii corpus ulnis excipientem. Cui imagini alia accessit paulo recentior, quae Deiparam refert gaudiis caelestibus perfusam,

Quum vero solitarium sacellum meta fieret multorum visitantium neque iis capiendis sufficeret, anno MCCXXV amplum ibi aedificatum est templum ab eremita propinquis, Burchardo a Wangen eiusque uxore Ida a Finstingen.

Ex eo tempore ad nostram usque aetatem, sacra haec aedes inter sanctuaria Mariana Alsatina principem semper obtinuit locum. Nec tantum vulgares eo peregrini confluere solent, sed etiam illustrissimi quique, ordinis sive ecclesiastici, sive saecularis.

Inter hos memoratur saeculo XVIII, rex Poloniae Stanislaus Leczinski eiusque uxor, ac filia Maria. Quae postrema, nupta dein Galliae regi Ludovico XV, splendida misit donaria, hac adiecta inscriptione:

MARIAE CAELI TERRAEQUE REGINAE

MARIA HVMILLIMA ANCILLA

DIE XXV MARTII MDCCXXVII.

Saeculo XVI et sub finem saeculi XVIII, Valli Marianae calamitosi quidem dies exorti sunt: quo tempore, sacrae Imagines aliquandiu delituerunt. Nostro tamen aevo, vetus Sanctuarium novo splendore refulsit, ex quo, anno MDCCCLXIV vastius ibi ac splendidius inauguratum est templum, adstante frequenti praesulum etiam purpuratorum corona, et piorum spectatorum multitudine paene innumerabili.

Haec volui revocata ad maiorem carminis quod sequitur intelligentiam:

*Salve, MARIAE VALLIS, amoenior
qua nulla tellus! hortus amabilis,
Christi Parenti quem dicavit
Alsatae pietas avita.*

*O cara sedes! o memorabiles
experta casus! dum cita volvitur,
fastos resignans Alsatinos,
aligeram rota saeculorum.*

*Ut me, latini Tibridis hospitem,
sed rure natum Dusa ⁽¹⁾ quod alluit,
ut me iuvat, formosa Vallis,
visere te, tibi ferre carmen!*

*Heic vasta, lustris plena reconditis,
horrebat olim silva, latescere
quae vidit, Argentina felix,
grande tuum decus, Arbogastum.*

*Viditque flexo poplite supplicem
accensa Christo vota profundere,
edocta summos, thus ut igni
impositum, penetrare caelos.*

⁽¹⁾ DUSA (*Dusenbach*) rivulus est Alsatae superioris, qui e Vogesi montibus decurrit.

*Res mira! nigri tum κακοδαίμονες
liquere lucos praecipiti fuga
arasque, diro quas cruore
imbuerat Druidum machaera.*

*Nequivit Orcus ferre potentiam
caelestis Agni, quem pius immolat
Christi sacerdos, Golgothaeum
dum recolit renovatque ritum.*

*Mox SANCTA cunctis audit, et omnium
per ora fertur silva; precantibus
quae trita turbis, sacra miscet
carmina carminibus volantum.*

*Accede nunc et rebus inanibus,
Alberte, missis, heic tibi rusticum
compose tectum, sempiternae
usque memor sitiensque vitae.*

*Non te supellex aurea, divitem
nuper dynastam, stipat; inhospitum
nil limen ornat, praeter, altae
fixa cruci, pia membra Iesu;*

*praeterque divae Matris imaginem,
Natum prementis (iam sua gaudia,
nunc heu! atroci morte caesum)
complicitis trepidanter ulnis.*

*Amat, labores passa gravissimos,
Maria nostras tergere lacrimas;
id sensit Albertus, brevique
sensit item legio gementum.*

*Silvestre templum iam petit Isarae ⁽¹⁾
Rhenique dextri cultor, ed accola
ripae sinistrae; nec Mosellae
rarus adit Vogesique civis.*

*Magnes et alter suaviter agmina
trahit piorum: prodiit aemula,
cui laeta frons ornata gemmis,
virgineae Genitricis εἰκὼν.*

⁽¹⁾ Hic non Gallicus rivus Isère, sed Bavaricus Isar intelligitur.

*Dolere Virgo docta, doloribus
auferre nostris novit aculeos;
regnique compos ter beati,
corda beat radiante vultu.*

*Millena templi vos anathemata! ⁽¹⁾
largam Mariae dicite dexteram,
seu cura quem terrestris angit,
seu vitiis animus laborat.*

*Narrate foedis, vota nitentia,
purgata passim pectora moribus,
messemque de virtute partam,
qua sterilis fruticarat aera.*

*Morbos fugatos, salvaque dicite
quovis ab atro funere corpora,
ac rura late, vel sereno,
vel pluvio recreata caelo.*

*O Alsatinis perge clientibus,
Virgo, patronam prodere te piam;
fac, ne terat fruges procella,
nec caries populetur uvae.*

*Arce, quod error mentibus inserit
scelusve, tabum: perniciosior
quo nulla pestis; tanta clades
Alsaticis procul absit oris.*

FR. XAV. REUSS.

⁽¹⁾ *Anathema* cum e longa donum votivum significat; *anathema* cum e brevi, rem execrabilem.

EX GALLIA

Parisiensis conventus de pace inter gentes procuranda

Sub initio huius mensis Aprilis *Institutum* qui dicitur *Iuris Gentium*, ad vitanda aut saltem minuenda belli mala adque iustitiam et pacem inter gentes procurandam, conditum anno MDCCCLXXIII, Lutetiae Parisiorum convenit, disputationesque inivit de submarinis ballistis, de hospitio seu asylo navibus concedendo, quae a classe belligerantium in neutralium portus confugerent; de « ludi exceptione »; de « ordine publico » etc. Inter Italos insignes, qui conciones in huiusmodi coetu pronuntiarunt, digni sunt qui memorentur Paschalis Fiore et Buzzati; inter Gallos Renault, Fauchille, De Montluc; inter Anglos Westlake, Halland; inter Hel-

veticos Meili et Roguin. Anno proximo coetus Madriti conveniet; atque ideo praeses electus fuit Hispanicus civis De Olivart marchio, professor cathedrae in catholica universitate Madritensi. Quod felix bonum faustumque siet!

Lutetiae Parisiorum, mense Aprili MCMX.

MONTELUCCIUS.

COLLOQUIA LATINA

Pilare certamen. (1)

F. — Omnibus est; nunc vero patientia non agitur. Mitte rigide; nam, contra facere, parum liberalitatis arguit. Quum pila retorquetur, eam iacere quoquomodo permissum est, ad dextram vel ad sinistram, magis vel nimis altam dummodo supra lineam; sed semper et ubique rigide est mittenda.

I. — Recte dicis; ludi leges nosti; id in memoria habere curabo; nam, licet aliquantulum praecellamur, nobis generositas arridet.

F. — Iam videbimus.

I. — Videbitis, fidem do. Hanc tibi, Petre (*Mittens pilam*).

F. — (*ad Petrum*). Percussisses in aëre melius; etenim videbatur in solum humidum incidere, neque fore ut resiliret.

I. — Facta est aequalitas; novenum cuique. Protrahimus ad decimum sextum?

P. — Esto (*Ad Ferdinandum collusorem*). Audi, Ferdinande: quum plurimum retorques Antonium versus, fac ut ad Ioannem remittas, et sinistro versus, nostraque certo victoria.

F. — Bene; sed post remissionem, cura ut pone me te habeas, ne quando pila e manibus labatur; nam saepe Ioannes ita iacit alte, ut, interdum, etiamsi ex volatu enitar retorquere, impossibile sit eam attingere.

P. — Ita faciam; sed tu fac quod dixi et cito cernes virtutem consilii mei; ad Ioannem et oblique, versus augulum; illic saepe pila haeret, et, si resiliat, sinistra percutienda est.

I. — Non prorsus ita res, Petre; conversa subito fortuna est.

P. — Est cur ita loquaris; primo raro vitium faciebam, nunc vero... Quomocumque est, nos animo frangi minime oportet. Hoc punctum ultimum amisimus quia dextra manu percutere paratus, pila oblique reflexit ad sinistram, et quum animadverti, attingere iam non valui.

(1) Cfr. num. sup.

I. — Decimum quartum agimus pro duodecimo. Valde laborare videris, Ferdinande.

F. — Omnes laboramus et quandoque frontem extergemus; ne te victorem iactes adhuc.

I. — Credo quod quidquam conatus vobis evadet inutile.

P. — Quid? nonne antea vobis praestitimus tribus punctis et aequalitas advenit postea? Et nunc potest sic fieri.

I. — Verum est; sed neque negare licet excellentiam, ad finem ludi, potiore esse quam initio.

P. — Res indicabit: mitte. (*Mittit Ioannes*) Credo te vitium fecisse.

I. — Et mihi valere visum est; ni visus me fellerit, citra lineam incidit.

P. — At non est mihi tam hebes oculorum acies, et propius ad aspiciendum steti....; quippe qui, etiamsi potui, nolui pilam remittere manuque cepi. Fidem rogo, Sylvester: nonne extra lineam incidit?

S. — Extra incidit, propemodum duobus digitis ab linea. Hic percussit (*locum indicans*); signum cernere fas est.

I. — Bene, mi homo; nobis verbum tuum sat est.

S. — Aequales estis; pro utraque parte punctorum quindecim.

A. — Protrahimus tribus aut quatuor amplius?

F. — Nullo modo; lusioni finem demus; sunt enim qui exspectant lusing; decimum sextum sit ultimum; videamus cui fortuna iuvet.

P. — (*Mittens*) Eccum in medio sphaeristerio; ne dicatis nos non esse liberales.

I. — Estis quidem..... Neque ego intendi esse minus; et hac de causa in vitium incidi; ita enim alte remisi pilam ut in tectum iacerem, unde, ut videtur, frustra cadere exspectamus.

P. — Vicinus: at indubium est nos omnes pro suis quemque viribus certasse, et, donec vos praecellamus dimidio, dimidia ex parte punctorum dici nequit plenam esse victoriam.

I. — At istuc nunquam fiet.

P. — Quis novit?

I. — Quis novit, inquis? Ego novi. Iam iterum ludemus, at, quum hoc hodie non detur, cras alia evenient.

Ex collegio S. Millan de la Cogolla ad Calagurrim in Hispania.

B. GABARA O. S. A.

ARRAE GORGONIAE

« Vox Urbis » commentarii appendicem, vid. in pag. 80.

EX HELVETIA

Euripidem et Plautum apud Genavenses in scenam prodire

Audentes Fortuna iuvat. Etenim quamquam perdifficile est, praesertim his temporibus, fabulas antiquas Graece et Latine agere, id tamen temptaverunt Genavae, proximo mense Martio, discipuli collegii, ut ita dicam, classici; qui, quum multas scenas inter se connexas ex *Medea* Euripidis et Plauti *Amphitryone* excerptas in scenam induxissent, tanta arte ludicra usi sunt, ut etiam atque etiam a spectantibus revocarentur. Nam non solum versus discitu haud faciles memoriter pronuntiabant, sed etiam gestus vultusque cum re mire accommodatos proferebant.

Praesertim ii qui Medae ipsius eiusque nutricis partes sustinuerunt, cum urbanitate arteque elegantissima Graecorum agere seque moveri ostenderunt, magnamque excitaverunt spectantium admirationem. Magnifice Medae furentis et impetu conscelerato efferatae persona; quum autem in exitu tragoediae, ex postscenio clamores et eiulatus flebiles liberorum a matre amente trucidatorum audivimus, horrore illo contremuimus quo, iam abhinc annorum prope duo milia, Athenienses certe agitati sunt.

Plautus contra, vi comica et quasi aestu imprimis fervidi diverbii, semel atque iterum risum immensum nobis excussit. Sosia, quum aedes heri intrare a Mercurio prohiberetur et omnibus artibus contremisceret, coronae plausus vociferationesque maximas sibi procuravit. Itaque, tametsi ab iis quae a Plauto scurriliis interdum scripta sunt, gesticulationibus, ut meam sententiam candide aperiā, non satis actores temperabant, tamen id quod voluerunt consecuti sunt, ut qui aderant oblectarent, et pulchrae illius linguae latinae admirationem refricarent maioremque redderent.

Ceterum, sive Graece sive Latine iuvenes illi egerunt, de litteris et liberalibus artibus optime meriti sunt. Quare iis ex animo gratulamur.

Novioduni Helvetiorum, d. iv mens. Apr. MCMX.

CAROLUS FAVEZ.

QUAESTIONES INTER SOCIOS PROPOSITAE

Abhinc annos aliquot huiusmodi caput in Commentario nostro instituimus, quod si pluribus mensibus in honore fuit, sensim tamen deinde obsolevit. Proximis vero diebus, I. Rainer, ex Americana urbe S. Francisci quaestionem nobis solvendam proposuit, quam referimus et volumus quasi praefati capitis instaurationem constituere. Dum autem ipsi ex nostra parte respondimus, explanationi eius ad satisfaciendum magis, itemque ad alias quaestiones inter socios proponendas, quae praesertim vehementer eos alliciant, lectores omnes invitamus.

Sit igitur

Quaestio I

Unde celeberrimum il lud effatum: « Memento mori? » Locutio haec verene est latina? Potuit Cicero aliusve Romanus eruditus illud legens interpretari sine dubio quo valeret?

C. B.

R. — Lugubrem hanc considerationem cum similibus puto apud eos invaluisse, qui solitaria ac veluti umbratili vita in Thebaide pallescebant. Ceterum dictum et quasi tessera facta est Trappistarum sodalium, quorum Congregatio condita an. MCXL, reformata fuit anno MDCLXIV ab abbate illo Armando Ioanne Le Bouthiller de Rancé, qui, vir quondam mundanus, deinde in coenobium cum nobilibus multis e Gallica gente secessit, opusque edidit de monasticae vitae sanctitate et officiis. Huiusmodi, inquam, sodales iuxta suas regulas, ut prae oculis mortem imaginis haberent, illud *memento mori* sibi invicem repetere debebant.

Ceterum et verba *Memento novissimorum* in Sacris libris invenimus (*Eccles.* xxxviii) et scimus eorum contextum passim in nonnullis usibus revocari solitum. Sic apud Aegyptios in epulis feretrum circumferebatur; Russorumque Caesari, quo die imperiali corona cingebatur, mos erat offerendi lapidum specimina aliquot, unde eos deligeret, quibus eius monumentum aedificaretur. Quis proinde ignorat verba illa ab Ecclesia « Cinerum die » cuique fidei proposita: « Memento homo, quia pulvis es et in pulverem reverteris »? Atqui ex libro Geneseos haec verba ad amussim detracta sunt. (Cap. iii, v. 19).

Apud Ciceronem denique de mortis memoria ante se habenda haec inter alia leguntur: « Moriendum certe est, et id incertum an eo ipso die (*Cat. mai.*) — Nemi exploratum potest esse, quomodo sese habiturum sit corpus, non dico ad annum, sed ad vesperum. (*De finib.*, 2) — Quis est, quamvis sit adolescens, cui sit exploratum se ad vesperum esse victurum? (*Cat. mai.*) — Mortem omnibus natura proposuit. (*Philipp.*, 4) — Necesse est mori (*Tusculan.*, 2) — Moriendum est omnibus. (*Tusc.* 1) — Est tibi moriendum quia homo natus es. (*Famil.*, 4) — Quae potest esse in vita incunditas, quum dies et noctes cogitandum sit iamiam esse moriendum? (*Tuscul.*, 2).

FORFEX.

ACTA PONTIFICIA

MOTU PROPRIO

de Concessionibus Indulgentiarum
a Suprema S. Congregatione S. Officii recognoscendis

Quum per Apostolicas Nostras Litteras *De Romana Curia* quae incipiunt « *Sapienti Consilio* », III Kal. Iul. an MDCCCIII datas, *universam rem de indulgentiis*, ideoque et curam circa rectam et prudentem earum moderationem et onus invigilandi super earundem publicatione et impressione,

uni Supremae Sacrae Congregationi Sancti Officii devolutam voluerimus; ad praecavendas dubitationes quascumque quae ex concessionibus hac in materia aliter quam per praefatam Sacram Congregationem forte obtentis facile oriri possent, utque omnibus plane constet de earundem authenticitate et efficacia, Suprema Nostra Autoritate, motu proprio atque ex certa scientia, declaramus et decernimus:

1. Indulgentias quascumque, sive generales sive particulares, quae non respiciant ipsas personas petentium tantum, a supradicta Suprema Sacra Congregatione Sancti Officii esse recognoscendas;

2. Idem dicendum de facultatibus concessis quibusvis sacerdotibus cuiuscumque gradus et dignitatis benedicendi pia obiecta eisque adnectendi indulgentias et privilegia pro quocumque vel quibuscumque Christifidelibus;

3. Concessiones indulgentiarum et facultatem, de quibus supra, vim habere tantum postquam Sacra Congregatio Sancti Officii illas authentice recognoverit;

4. Quoad praeteritas, demum, concessiones, eas efficaciam tantum habituras, si intra sex menses ab huius Nostri Decreti publicatione eidem Sacrae Congregationi exhibitae ab eaque recognitae fuerint;

5. Idcirco impetrantes posthac huiusmodi concessionem teneri, sub poena nullitatis gratiae obtentae, exemplar earundem dictae Supremae Sacrae Sancti Officii Congregationi exhibere, ut rite recognosci ac ratae haberi possint.

Haec edicimus, declaramus, sancimus, contrariis quibuscumque, etiam speciali et individua mentione ac derogatione dignis, non obstantibus.

Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die VII Aprilis MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo.

Pius PP. X.

Per Apostolicas litteras d. d. VIII mens. Martii MCMX consociatio precum pro Scandinavorum conversione impetranda erigitur in abbatia S. Mauritii Claravallensis, in dioecesi Luxemburgensi, cum facultate inscribendi socios ubique terrarum, et cum indulgentiis consuetis.

DIARIUM VATICANUM

(Mense Aprili MCMX).

Coram SSmo admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sui quisque muneris gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Paulus Alexandrovich, e Russorum regali genere Magnus Dux cum Russico administro apud Apostolicam Sedem; Duthoit doctor; manus Italicorum invenum in atheneis studiis vacantium; Lapurdensis hospitii Sodales; Aloisius Boncompagni, Princeps Urbanus, cum Paulo, eius filio; Caisotti de Clusano, Comes; Italici peregrini Terram a Christi sanguine purpuratam petentes; Paulus Macchi, Comes, eiusque familia; Radzivill Princeps, eiusque uxor; Belgarum diariorum scriptorum manus a Belgarum administro apud Apostolicam Sedem coram adducta; Hungarici cives, qui Romam advenerunt ut sollemnibus interessent dedicationis in Lateranensi basilica faciendae monumenti Sylvestro II Pontifici; Pastor doctor, Austrorum historici instituti in Urbe praefectus; De Rotenham dynasta, iam Borussiae legatus apud Apostolicam Sedem; Consilium generale Ordinis Eremitarum S. Augustini excalceatorum; Praschma Comes, eiusque uxor; Potocki, Comes; Italici peregrini e Pisaurensi dioecesi; Polonorum peregrinorum manus; Teutones peregrini e Terra Sancta reduces a Purpurato Patre Huberto Antonio Fischer, Archiepiscopo Coloniensi, coram adducti; Americae Septemtrionalis peregrini pariter ex Terra Sancta reduces; S. Caeciliae Latialis Societas ad sacram musicen provehendam; Helveticorum peregrinorum manus; Maria Anna Friderica, Hessensis «langravii» vidua, ex Borussica regali stirpe Princeps foemina; De Bothner, dynasta.

Pontificiae electiones.

— Bernardinus Slaku, O. F. M., episcopus tit. Tiberien. et Coadiutor cum futura successione rmi. episcopi Pultensis in Albania; Eugenius Massi, O. F. M., episcopus tit. Ioppensis et Vicarius Apostolicus de Scian-si Sept. in Sinis; Ioseph Busch, rector Missionariorum S. Pauli, episcopus Leaden. in Civitatibus foederatis Americae Septemtrionalis; Iosue Signori pro-Vicarius dioecesis Bergomensis, episcopus Fossanen.; Georgius Gusmini, parochus S. Alexandri Bergomensis, episcopus Fulginaten.; Nicolaus Cola, canonicus ecclesiae Cathedralis Camerinensis, episcopus Marsorum creantur.

— Exemus. vir Aloisius Ermini, episcopus tit. Hamathen., ad sedem Sarsinaten. transfertur.

— Iosephus Alberti, canonicus theologus cathedralis ecclesiae Aquaependen. inter Auditores S. Romanae Rotae adsciscitur.

— Purpuratus Pater Benedictus Lorenzetti, Sacrae Congregationi de Propaganda Fide pro rebus Orientalibus adicitur.

Vita functi viri clariores.

Romae, die XXIX mens. Aprilis, senectute confectus, **Guilielmus Pifferi**, ex Ordine Eremitarum S. Augustini, episcopus Porphyreon., in Pontificia Domo Sacrorum praefectus. Natus erat Aculae, die XXIV mens. Maii MDCCCXIV.

ANNALES

Albanensis seditio.

Arnautarum gens in Albanensi Turcarum regione est, a vectigali quovis solvendo iam antiquitus exempta. Quae quidem sublatum sibi a gubernio huiusmodi privilegium videns, ad arma ex improviso, ineunte superiore mense Aprili, profugit rebellionemque publice indixit. Missa in eos acies, ad Pristinam urbem ingenti clade versa retro est. Tum imperii summa Chefket imperatori commissa, qui instructo optime exercitu atque virtute sua facile seditiosos subigere visus est; brevi tamen, quum hi cum quadraginta hominum millibus bellum renovarunt, montesque Cianikasc occupantes, ferriviam a Neskuel urbe ad Monastir a circuitione sua continuerunt, impedieruntque quominus comeatibus ad Turcarum agmina apportarentur. Rei igitur status difficilis satis apparet, isque ut administris virtute magna fortique opus sit. Prospere, cetera Europae gubernia unanimi consilio sentiunt, nisi a Turcarum imperio invitata fuerint ut Balkanicam omnem regionem tueantur, nullimode in hoc discrimine interfutura, quod brevi iri solutum — quidquid futurum fieri possit — vehementer speramus.

Cretensis quaestio.

Cretensis quaestio iterum his diebus promittit, Turcarum emissis protestationibus ne liceat Christianis legatis in Cretensi coetu, qui proxime conveniet, iuramentum fidelitatis Georgio, Graecorum regi, proferre. Quum frustra nationes tutelam insulae gerentes obiecerint id speciem ac formam vanam tantum constituere, aliasque idem pacifice esse factum, Turcaeque contra institerint, inde violationem *status quo* oriturum esse affirmantes, non plane deducere fas est, quomodo Byzantina mens cum legatorum Cretensium conciliari queat. Eventus itaque exspectamus.

PUBLICI PER ORBEM COETUS

legibus ferendis

In **Anglia** quaestiones supremo coetui proponendae de utriusque coetus praerogativis, Hiberniae legatis administrorum concilio faventibus, adprobatae.

In **Austria** de vectigalibus reformandis instituta disceptatio.

In **Borussia** nova indicendorum comitiorum ratio, frustra socialistarum factione obstante, rata habita.

In **Gallia** novorum popularium legatorum electio favorabilis gubernio evasit.

In **Germania** rationes acceptorum et expensarum perpenduntur. Inchoata simul disquisitio de commodo opificibus, sive senectute sive alia de causa labori impotentibus, concedendo.

In **Hispania** publici coetus legati dimissi, novae comitia indicta.

In **Italia** fusa oratione Luzzatti, novus administratorum praeses, concilii sui proposita exposuit, suffragiaque plurima a legatis obtinuit.

In **Russia** rogatio legis sancta de militari disciplina ab omnibus civium classibus pro tempore capessenda.

PER ORBEM

Die II mensis Aprilis MCMX, Roosevelt, quondam Civitatum Foederatarum Americae Septentrionalis praeses, ab Africanis venationibus redux, Italiam appellit.

Di San Giuliano marchio, novus in Italia ad exterarum gentes administer, Bethmann Hollweg, Germaniae Cancellarium, Florentiae convenit.

— d. III Leblond, Gallicus aviator, cum aëroplano suo ad S. Sebastiani in scopulos praecipitat misereque frangitur.

— d. IV novae aëreorum itinerum victimae ad Ruegen insulam lugentur, inter quas Delbrueck, Germanici popularis coetus legatus.

— d. V in vitreariis officinis ad Muranum incendium gravissima damna comparat.

— d. VIII subaqueus novus Gallorum linter ad Cherbourg feliciter in mare immittitur.

— d. IX in monte Olivarum ad Hierosolimam Teutonum amplissimum nosocomium aperitur.

— d. XV aviationis campus ad Châlons atra procella vastatur.

Capetown, in Transvaalana regione, nudis oculis Halley cometes optime primum conspicitur.

— d. XVI Romae, in Lateranensi basilica, adstantibus Hungariae civitatis principibus, episcopis civibusque, atque ipsius Francisci Iosephi, Austro-rum Imperatoris et Hungariae regis, legato, monumentum ab Hungaris Sylvestro II Pontifici dictum sollemniter Emo. Card. Urbis Vicario traditur.

— d. XVIII, Chang-Sha, in Sinis, ob gravis annonae metum, tumultus fiunt. Gubernator interimitur, exterarumque gentes fugam capessere coguntur.

— d. XX Halley cometes ad perihelium pervenisse computatur.

Ex Serbia flumina e limitibus excessisse nunciantur immensasque iacturas tum hominum tum rerum attulisse.

— d. XXII vita fungitur Marcus Twain, litterarum et philosophiae magister Americanorum peritissimus.

— d. XXIII Venetiis IX pulcrarum artium ex omnibus orbis gentibus exhibitio; Bruxellis universalis omnium rerum expositio inaugurantur.

— d. XXVI Lutetiae Parisiorum fato concedit Bjoernson Bjoernstjerne, poeta Norvegorum maximus.

— d. XXVII Borussorum Princeps Germanici regni haeres eiusque uxor, e Terra Sancta redces, Romam privati tenent.

— d. XXVIII Paulhan aviator aëreum iter a Londino ad Manchester feliciter conficit.

LIBRORUM RECENSIO

PROF. LUIGI PROFUMO S. I. — *Corso di filosofia elementare per licei*. Vol. 1 *Psicologia* (Edid. Augustae Taurinorum Marietti, 1910).

Doctrina quam cl. a. evolvit illa est quam maiores docuerunt; vestis autem ea, qua nostris diebus prodire oportet, quum praesertim pro iuvenibus scribatur, quibus publica pericula facienda sint. Haec satis, ut peculiare huius libri dotes quisque plane ex se coniciat.

ANDREA FERRATO S. I. — *Cronologia Costantiniana e dei Papi S. Eusebio e S. Milziade*. (Sampierdarena, ex off. Salesiana, 1910).

Criticum hoc opus solidis argumentis tempora statuit, quibus nonnulli Constantiniani regni eventus contigerunt. Inde igitur scimus primum eius imperii annum fuisse cccv; Diocletianum regno an. ccciv depulsum esse thermasque quae ab eo nomen deduxerunt post huius depositionem inauguratas, scilicet ipsius anni die xx Novembris; primum libertatis edictum pro christianis die xxx Aprilis an. cccx datum; Maxentium d. xxvii Octobris cccv imperium adivisse supremumque diem an. cccix obiisse; Constantinum per aliquot tempus tamquam Caesarem absque Imperatoris titulo regnasse, hunc autem honorem accepisse quum Faustam uxorem duxisset, exeunte mense Martio cccvi. Ita auctor procedit in tempora Maximiani et Licinii incumbens, unde ad relationes transit, quae inter dies hisce imperatoribus tuto appositae atque Miltiadis et Eusebii Summorum Pontificum intercedunt. Praeterea circa inscriptionem quamdam Damasianam disceptatione instituta ut ad Liberiana tempora potius transferatur, quaestiones de Liberio papa relate ad Ariani doctrinam fuse atque recto iudicio examinantur.

P. ORAZIO PREMOLI B. — *Fra Battista da Cremona secondo documenti inediti*. Contributo alla storia religiosa del secolo XVI (Romae edid. Desclée et Soc., 1910).

Baptistam Cremonensem alii ita nobilitarunt ut tamquam sanctum sint etiam venerati; alii contra ita abiecerunt ut haereticum habuerint eiusque cineres disperdi vulerint. Hodiernus auctor plurimis documentis suffultus veritatem constituere nititur atque viri famam vindicare, qui Sanctorum Antonii Mariae Zaccaria et Caietani a Thiene animi moderator exstitit.

LA TOUR DU PIN LA CHARGE marchio. — *Aphorismes de politique sociale*. (Lutetiae Parisiorum, Nouvelle librairie nationale, 1909).

Centum paginis concreta in hoc volumine doctrina continetur, quam auctor iam in opere cui titulus *Vers un ordre social chrétien* late declaravit ad quaestionem tum opificum tum agrariam solvendam; illam ad corporationum regimen redeundo, hanc agricolas per opportunas leges a tributis liberando, quae eorum fatigatibus solvere debent. Quamquam el. auctor christianae doctrinae assecla omnino sit, nobis tamen videtur, quum ad civitatum, vel potius civitatis suae, gubernaculo aptanda a se vindicata principia devenit, nimia cum exceptione iis uti.

LEON DÉSERS. — *L'éducation morale et ses conditions*. (Lutetiae Paris. apud Lethiellieux, 1909).

Continentur in hoc opere orationes octo educatrici-
bus christianis dicatae, quae muneris sui sensum ap-
prime intelligant; omnesque sunt de puerorum institu-
tione. Clarum sacerdotis Désers nomen satis est ut li-
ber eius iis quos spectat valde commendetur.

I. F.

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI

Sociorum et lectorum in mentem revocamus, libros recens editos atque ad nos missos, ut in Voce Urbis eorum notitia detur, neque hoc ipso a nobis commendari, neque apud administratorem nostrum, nisi contra aperte declaretur, venumdari. Si quis alterum eorum sibi cupiat, petat necesse est ab editore, quem semper indicamus.

Prof. Dott. GUSTAVO PECSI. *Crisi degli assiomi della Fisica moderna*. Riforma delle scienze naturali. Versione Italiana del Prof. Filippo Trucco. — Romae edid. Desclée et Soc., 1910. (Ven. lib. 5).

FR. ALEX. M. LEPICIER. *Appendix ad secundam editionem operis de stabilitate et progressu dogmatis*. — Indidem. (Ven. lib. 1).

GIOVANNI ASCANI. *Posizione giuridica della Chiesa nel Diritto italiano*. — Indidem. (Ven. lib. 0,40).

Notiones archaeologiae christianae disciplinis theologis coordinatae, auctore P. SYXTO O. C. R. — Vol. II. p. II, *Symbola et Picturae coemeteriales*. — Indidem, (Ven. lib. 6).

IOCI.

Index postquam adolescentulum, furti, invitus quidem, damnavit, eum mollioribus verbis increpabat: — « Siccine stultus fuisti, ut tantam infamiam tibi inureres furtulo triginta obolorum? » — « Triginta omnino — reus lacrimans — inveni, praterea nihil, quod auferrem ».

Arcadius Lysippo per litteras quaerenti filiusne eius ad magnas pecunias pervenisset, rescripsit: — « Habeo sane, quod laeter; filius enim meus primum praefectus aerarii Municipii, deinde curator publici nosocomii sumptibus coercentis, iam appulit in Americam ». Ad eum nuntium, Lysippus gratulatus est Arcadio schedula salutatoria, cuius hoc erat exemplum: — « O fortunate pater, qui filium effugisse carcerem videris! »

TITUS CURZIUS.

AENIGMATA

I.

Sum verbum? Raticam vocem designo caninam.

Sum nomen? Fuge me, ne spoliare bonis!

II.

Pabula significo, quae iactat vel levis aura.

Rho mihi subnectas: collo dependo tauri.

F. P.

**Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretati-
onem ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI, Commentarii
moderatorem (Roma, via del Governo Vecchio, 96)
miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis
accipiet opus, cui titulus:**

S. AMBROSII DE OFFICIIS LIBRI TRES

(Edid. I. TAMETTIUS)

Aenigmata an. XIII, n. II proposita his respondent:

1) **Canis**; 2) **Cor - sica**

Ea rite soluta miserunt:

I. Costa, *Dumio*. — Petrus Tergestinus. — Alex. P. Gest, *Trentonio*. — I. Rainer, *S. Francisco*. — R. Richi, *Traianopoli*. — Hern. Forgeot, *Nicaeae ad Varum*. — P. Prado, *Venetis*. — G. Giani, *Senis*. — F. X. M., *Drepano*. — Ant. Masia, *Tarragona*. — Alb. Catteau, *Lugduno*. — Iac. Menendez, *Madrito*. — Raim. Silvan, *Londino*. — Rich. Brondel, *Brugis*. — Rich. Müller *Berolino*. — I. Ortiz, *Morelia*. — Lud. Goux, *Bituricis*. — Iac. Cordara, *Parentio*. — Nic. Lagumina, *Panormo*. — F. Arnori, *A. Tonelli, Mediolano*. — Arch. Magliano, *Genua*. — I. Ciolli, *Papia*. — F. Starace, *Neapoli*. — Fr. Xav. Ghion, *Ostunio*. — Ios. Martins, *Philadelphiam*. — Eug. Dolmar, *Chicagine*. — F. Correa Emerita. — A. Bounin, *Aureliano*. — E. Ricci, *Florentia*. — Alb. Perraud, *Parisiis*. — Ant. Whiteside, *Alb. Kain, Dublino*. — Iac. Fernandez, *Mexico*. — Barth. Ferraris, *Augusta Taurinorum*. — Fr. Guerra, *Aetio*. — Lud. Dubois, *Massilia*. — Mart. Dunne, *Neo Eboraco*. — Carn. Zlinezky, *Cracovia*. — Frid. Horwath, *Vindobona*. — Clem. Fiard, *Curia Rhaetorum*. — Paulinus a S. Iosepho, *Barcinone*.

Sortitus est praemium:

AUGUSTUS BOUNIN,

ad quem missum est ALEXII M. LEPICIER opus, cui titulus:

DE STABILITATE ET PROGRESSU DOGMATIS.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus

ROMAE — Ex officina Societatis Romanae Editricis.

ARRAE GORGONIAE

(Cfr. num. sup.)

— Hoc — furens clamavit, — dum laeva furatur amoris pignus Fortuna, dumque arras sponsae dextera infida reddit, hoc iam infernis manibus caput devoveo.

Extrema haec tubarum clangor interceptit, simulque concurrentium undique per castra militum strepitus, divulsa tentoria, armorum fragor. Vicit obedientiae consuetudo angorem, surrexitque extemplo iuvenis, scutumque, quod penes equum posuerat, sustulit, galeam induit, circumspexitque. Equorum solvebantur agmina, centuriones decurionesque discurrere ad imperata purpurea crista, faculariis post terga equitantibus, discernebantur, cohortiumque multiplex gressus, sese iam in agmen cogentium, sonabat undique. In his repente succussus equorum adventavit hinniensque turma progressa est. Advenientibus alarum magistri occurrunt, Caecilique vox statim audita:

— Conscendite, equites, perque portam praetoriam abite.

Tubae iterato signo, arma insonuerunt simul quintorum militum prosilientium in equos. Eorum iter sequutus equitabat legatus, rapido intuitu singula lustrans agmina, fraenis, ephippiis, phaleris praeferentia. Iamque venerat ad portae limen, quum retinuit subito lora: Pegasus iacebat humi demersus cruore, cuius ad latus stans Atilius vibrata cuspide Caecilium salutavit.

Tunc abducto supercilio legatus:

— Dic iam tu, eques, novae ruinae nuncius, cuiusnam opera pedes es factus?

— Sagittarius certe barbarorum abditus in silvis Pegasus iam iam vallum attingentem telo percussit.

— Eccur non dixisti?...

— Dixissem plane, si post male ominata nuncia spatium loquendi fuisset; at...

— Optime! — Tunc ad turmam quae sequebatur conversus: — Age iam, Sifax; equum militia mutatum non sua culpa cede; — dumque Numida obtemperat: — Tu vero tolle, Vibenna, veteris meae cum patre tuo coniunctionis signum, recentisque doloris solatium. Hoc tibi donum esse volo, auspiciumque duco ut gorgonium, quod abdis, amuletum victorem, vivum te sospitet. — In his abiit.

Vibenna ob imperii reverentiam tacitus, at acuto renovati vulneris morsu percitus, porrectum a lixa fraenum tenuit. Bellua erat africana fulvo colore, membris ingens, naribus infremens. Sed revocaverant imperatoria verba ea, quae in tam subita profectione memoria diffugerant. Tum Atilius convertit rursus oculos circum, atque iacere in sanguine aliquid vidit. Sustulit; armilla erat sponsalis: labiis cruore stillantem admovit, osculo deterisit quasi signo imposito fracti amoris, fractae spei.

Sed iam iterum cecinerat buccina: ala omnis in agmen instructa progrediebatur: ipseque tunc in ephippium prosiliens ultimus est sequutus.

Per praetoriam, per decumanam, per principalem

portam inde alae, hinc cohortes, pedites aliunde effuebant. Tremulus atque interruptus taedarum ordo viam cuiusque agminis notabat. Germanorum vero auxiliaris equitatus, suo praeunte magistro, toto cursu reliquas copias antecellebat, quo, uti erant locorum magis experti, viam sequentibus collustrarent. Eorum faces iam alia post aliam silvarum tenebris demergi videbantur a longe, veluti quum supremae rogi favillae cineris cumulo restinguuntur.

III.

Tacitum per tenebras iter, raris tantum ducum vocibus, equorumve hinnitu turbatum erat. Milites enim, non, ut quum sub dio properant, garruli atque cantantes, sed demissis verbis, tum somno pleni, tum ignoto quodam metu anxii, quem per tenebras divinarent, procedebant.

— Quonam, Furie, vacuo ventre gravique capite currimus? Haec extremum decurionem rogari a milite qui una equitabat Vibenna audivit.

Cui miles:

— Ad inferos puto, quo tandem dabitur tutum Morpheo tradere caput.

— Et quomodo — tunc ille irridens — ita somniculosus Charontis scapham ingredieris?

— Quid quod? Natatu vadam, atque ineptas huiusmodi argutias Acheronteis in fluctibus non audiam amplius.

— Laudo sane te ea commoda transnatandi despicere, quae nec uno quidem obolo emere poteris.

— Potero quidem, si spatium fuerit senem nautam tuis his versutiis tesserario ludo vincere.

Funerea disceptatio apta ferme locis aptiorque intimae menti iuveni visa. Equorum enim similiter cadens gressus ad cruciatus novos eum totum reduxerat. Qui dum dextero lacerto gorgoniam taeniam praecingit, submisit, statutum olim iuxta nexum, haec adprecabatur: « Te, Anguicrinitam Erinnyesque dilectam obtestor deam, tu furiis ultricibus infidam foeminam plecte, meque sacram tibi victimam libens accipe ».

Sed ecce talia obsecrantis rumor pervenit ad aures, fragorque praevalidus turgentium fluctuum gurgitisque rapide spumantis, veluti si malefico prodigio ipsae revera adessent lividae aquae Acherontis. Verum nitida nox errorem brevi fugavit, stellisque desuper, ac facibus iuxta collucentibus Lippae fluminis splenduerunt undae; iamque Germani exploratores, qui praeierant, calcare pontem ligneum videbantur. Pontem, apto loco, ima in valle, acclivibus ripis, atque silva dilatata circum, militibus ut struerent legatus ipse imperaverat, quo cum imperatoriis castris tutius commercium esset.

(Ad proximum numerum).

I. A. COSTAGGINI.